Indignum sane atque iniquum videri possit senatum decernere Siculos magistratibus Romanis in cellam frumentum gratis dare oportere. *Atqui hoc scitote aratoribus Verre praetore optandum ac petendum fuisse.* Lege: *optandum atque expetendum fuisse.*

§ 201. Ratio satis aperta est. *Perspicere vos certo scio, Siculis quanto opere hoc expediat, non aequitate condicionis sed ad minima malorum eligenda. Nam qui mille mod. Verri suae partis in cellam gratis dedisset, duo millia nummum aut summum tria dedisset, idem nunc pro eodem numero frumenti HS* VIII *milia dare coactus est.* Ut oratio cohaereat legendum est: *Nam qui, si mille mod. — gratis dedisset, duo millia nummum aut summum tria dedisset, idem nunc — HS* VIII *milia dare coactus est.*

§ 228. In peroratione orationis frumentariae: *Itaque haec, iudices, quae pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. Arationes omnes tota Sicilia desertas atque a dominis relictas esse cognostis: neque quidquam aliud agitur hoc iudicio, nisi uti antiquissimi socii fidelissimique, Siculi, coloni populi Romani atque aratores, vestra severitate et diligentia me duce et auctore in agros atque in sedes suas revertantur*, non intercedo quominus cum Vaticano legatur, *antiquissimi socii et fidelissimi.* Verum quidquid scribetur *Siculi* delendum erit.

VALCKENAERII EMENDATIO INEDITA.

In Adversariis MSS. Valckenaerii, quae sunt penes virum amplissimum Luzacium, annotatum invenio locum Polyaeni VII. 16. totum e Ctesia sumtum esse videri, et ibi vetus mendum haerere in his verbis: *ὁ δὲ (Τισσαφέρνης) τὸ μὲν στρατόπεδον κατέλιπεν ἐν Σάρδεσιν, αὐτὸς δὲ μετὰ τριακοσίων λογάδων Ἀρκάδων καὶ Μιλησίων ἀφικόμενος ἐν Ἀριαίου κατέλυεν.* Pro *Ἀρκάδων*, quos Tissaphernis fuisse satellites fidissimos nemo facile credet, Valckenaerius *Ἀραδίων* emendavit.

C. G. C.